

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Sebastianvs Mvnstervs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

SEBASTIANVS MVNSTERVS  
Cosmographus.



*Sat lingua fuerat fontes mihi tradere sancta:  
Scribere sed mundi me iuuat historiam.*

M. D. LII.

SEBASTIANVS MVNSTERVS INGEL-  
hemij natus, anno M. CCCC. XXCIX.

Matheseos Geographiæque, & in primis He-  
brææ linguæ in Academiâ Heidel-  
berg studiosiss.

Professus ob id aliquandiu Franciscanorum  
ordinein Tubingæ:

Quò studijs huiuscemodi sibi vacare liceret  
impensius:

Præceptore vsus Ioan. Stöffero Mathema-  
tico excellentiss.

Demum sanctæ Linguæ Professor Basileæ  
constitutus:

Plurimis tum in sacras literas, tum in varias  
Matheseos partes, scriptis in pu-  
blicum editis:

Ac præsertim laboriosiss. illo Cosmographiæ  
opere, quo duce peregrinari terrarum orbem,  
domi etiam manendo, licet, egre-  
giè nobilitatus:

Germanus Esdras, Straboque: immortalis  
dignus memoriâ:

Quam ipse tot regionum, ciuitatum, familia-  
rum, virorum denique nominibus pro  
virili conciliauit:

Peste correptus, solennem Ascens. Do-  
min. Memor.

Anno Sal. M. D. LII. Aet. LXIII.  
morte piâ illustrauit.



IN SEBASTIANVM MVNSTERVM  
Cosmographum.

EPIGRAMMATA.

Notabilia grata.

IOAN. LAVTERBACHII.

Gratum quod eruditionem  
comparat.

*Ostendit faciem SEBASTIANI  
MVNSTERI senis hæc tabella: doctus  
Qui sex Cosmographos libros Mineruâ  
Conscripsit facili: quibus notatu  
Quæ sunt digna, refert, in orbe toto:  
Siue hæc vecta suo tenet iuuenco:  
Siue hæc dant Asia potentis ora:  
Siue hæc Africa fertilis dat agris.  
In primis docet euidenter omne  
Quod Germania continet notatu  
Dignum: continet eruditione  
Quod Germania grandiore dignum.  
Gratum est, quicquid & eruditione  
Dignum, vnaq; notatione dignum est.*

Iosephi à Pinu Eteostichon.

*Quintilis fuerant luces ut quinque peractæ:  
Munstere è viuis te cita Parca rapit.*